

Utrum verbum rationalis et create anime sit eius actualis intellectio rei ab ipsa cognite. Et videtur quod non sic. Verbum est quod a mente productum, igitur non est actualis mentis intellectio. Antecedens est Augustini 14 De trinitate capitulo ultimo dicentis quod verbum est proles mentis. Et consequentia patet, quia actualis intellectio non producitur cum sit actio intellectus, aliter esset actio et sic esset processus in infinitum.

Ad oppositum est Augustinus in Sermone Iohannis Baptiste dicens quod vox est signum verbi, verbum vero est ipsa cogitatio, sed cogitatio nihil aliud est quam actualis intellectio igitur.

Pro solutione quaestionis pono conclusiones. Prima conclusio est quod verbum rationalis et create anime est eius actualis intellectio rei ab ipsa cognite.

Probatur tripliciter.

Primo sic: illud quo rationalis anima creata attingit per intellectionem rem cognitam est verbum eius. Sed actualis eius intellectio respectu rei cognite est huiusmodi, igitur. Maior patet, per Augustinum 15 De trinitate, capitulo 16, dicentem quod cogitatio nostra proveniens ad illud quod scimus ac deinde formata verbum nostrum est. Minor patet, quia nihil aliud est vel poni potest per quod anima vel mens attingat rem cognitam nisi cognitionem ipsius rei cognite.

Secundo sic: illud est verbum rationalis et create anime quod ab ipsa in quantum est intellectus gignitur, sed solum actualis intellectio est huiusmodi, igitur. Maior patet per Anselmum Monologion capitulo 33 dicentem quod mens rationalis cum se cogitando intelligit habet se cum imaginem suam ex se natam, id est cogitationem que verbum eius est. Et minor patet, quia sola actualis intellectio ab intellectu gignitur, in quantum intellectus est.

Tertio sic: per Damascenum libro primo capitulo 18, dicentem quod verbum est naturalis motus intellectus secundum quem movetur et intelligit et cogitat. Item ibidem quod verbum est non quod verbo profertur, sed quod motus in corde nuntiatur, sed ista non posunt competere nisi actuali cogitationi, igitur.

Contra conclusionem arguitur tripliciter. Primo sic: illud non est anime rationalis verbum quod formatur in quo ipsum verbum formatur, sed in actuali intellectione vel cogitatione formatur verbum, igitur. Maior patet, quia aliter idem formaretur in se ipso. Et minor apparet per Augustinum in libro De cogitatione vere vite, responsione 22 dicentem cum nos aliquam rem cogitamus ipsius rei imaginem in cogitatione nostra formamus sicut est Deus cum se ipsum cogitat similitudinem sui per omnia imaginem format et ideo hoc verbum vel similitudo dicitur Dei.

Secundo sic: verbum anime nostre create dicitur relative, igitur. Consequentia nota, quia quilibet actualis intellectio cum sit quedam qualitas anime est ens absolutum et non dicitur relative. Antecedens apparet per Augustinum 5 De trinitate capitulo 16 dicentem quod filius in eo quod verbum relative refertur ad patrem et ad dicentem. Hoc etiam ponit Magister libro 1 in 7 conclusione huius distinctionis.

Tertio sic: si actualis intellectio sit verbum, sequitur quod pater in divinis sit verbum et quod spiritus sanctus sit verbum, sed consequens est falsum et contra Augustinum 6 De trinitate capitulo 2, dicentem quod non simul pater et filius sunt unum verbum, sed solus filius est verbum. Et consequentia patet, quia actualis intellectio equaliter convenit pPatri et Filio et Spiritui Sancto.

Item sequitur quod intellectus divinus sui verbi esset causa productiva, quod tamen superius est negatum quaestione 7 conclusione tertia.

Respondeo. Ad primum dico quod aliquid dicitur formari in aliquo tripliciter. Uno modo ut in efficiente et productivo, ut dicitur quod anima formatur in creatione. Et sic concedo, maiorem. Et nego minorem. Alio modo tanquam in perficiente et in formativo, ut materia dicitur formari per formam. Et sic concedo maiorem et nego minorem. Alio modo tanquam in essentiali perfectione, et esse proprio, ut cum dicitur quod perfectio intellectus for- (64rb) matur in actuali intellectione, cum tamen idem penitus sit actualis intellectio quod intellectus perfectio, et sic nego maiorem et concedo minorem, quia sic formatur verbum in cogitatione, quia eo ipso quo formatur cogitatio formatur verbum, cum idem sint.

Ad secundum dico quod intellectio que dicitur verbum potest considerari multipliciter. Uno modo ut informat et perficit intellectum in quo est, et sic dicitur intellectio cognitio vel conceptus, et sic est equalitas et non dicitur sub ista conditione relative. Alio modo, ut in se representat similitudinem intellectus a quo producitur et est eius imago sicut quilibet effectus suam causam. Et isto modo dicitur verbum et sub ista consideratione dicitur relative. Nec habeo pro inconvenienti quod idem diversimode consideratum recipiat diversum modum predicandi.

Ad tertium, dico quod argumentum solum probat de verbo divino. Ego autem loquor de verbo creato. Etiam dico ad argumentum quod iscut dicit Magister quod Spiritus Sanctus aliquando dicitur relative aliquando essentialiter, si relative non dicitur de Patre; nec de Filio, si essentialiter dicitur de tota trinitate, libro 1, distinctione 26. Sic dico in proposito de actuali intellectione que si accipiatur relative, scilicet prout producitur a persona, sic dicitur verbum et solum filio convenit, vel etiam dico aliter, scilicet quod verbum inquantum verbum de se est commune tribus personis, sed apropiatur filio, sicut amor spiritui sancto, cum tamen quelibet persona divina sit amor et caritas, ut ait Magister libro 1 distinctione 10.

Secunda conclusio est quod verbum rationalis et create anime non potest ab ipsa instantanee procedere.

Probatur tripliciter. Primo sic: cuiuscumque rei productio que habet resistantiam illa non potest produci instantanee. Sed cuiuslibet verbi create anime productio habet resistantiam, igitur. Maior patet, quia resistantia est causa sucessionis in motu, 4 Phisicorum capitulo de vacuo. Et minorem probo, ad cuius probationem praemitto quod in omnibus actionibus cuiuscumque conditionis existat quanto passum est magis dispositum ad resistendum actioni agentis, tanto difficilius agens agit in ipsum, et quanto minus tanto facilius. Nullum etiam est passum sic dispositum quin saltem per potentiam absolutam possit magis disponi quam non sit dispositum. Premitto etiam idem ex parte agentis cuiuslibet finiti, scilicet quod quanto agens est perfectius et habilis ad agentum, tanto facilius agit ceteris partibus in (64va) passum. Nec est aliquod agens creatum ita dispositum et habile ad agendum quin per potentiam Dei saltem absolutam melius possit disponi et habilitari ad agendum, et quin Deus possit eius condiciones meliorare. Ex istis clare notis sequitur correlarie ex probatione minoris quod sicut in omni actione ponimus resistantiam ex parte passi et in dispositionem passi scilicet non summam habilitatem ad patiendum, ita oportet poni ex parte agentis et sic patet ex hiis quod in cuiuslibet verbi create anime productione concurrunt duplex resistantia. Una ex parte ipsius potentie inquantum passiva est, quia nulla potentia cognitiva creata est summe habilis et disposita ad patiendum. Alia resistantia est ex parte ipsius inquantum activa est, ut dictum est. Et sic patet minor predicte rationis.

Secundo sic arguitur ad conclusionem. Motus non potest fieri instantanee. Igitur nec anima suum verbum instantanee valet producere. Antecedens notum 6 Phisico, textu commenti

15, quia motus est de numero sucessivorum. Et consequentia nota, quia ipsum verbum nostrum sive actualis intellectio est quidam motus cum sit actio propter quod Philosophus in libro De lineis indivisibilibus intellectionem vocat motum mentis velocissimum.

Tertio probatur conclusio per Philosophum in libro De memoria et reminiscencia, dicentem quod intellectus intelligit in continuo et tempore. Nec hic valet dicere quod Philosophus dicit quod sic est de facto, sed per hoc non negat quin aliter esse possit, quia ibi Philosophus nobis tradebat scientiam de productione actus intellectus. Scientia autem est de impossibilibus aliter se habere.

Contra conclusionem arguitur tripliciter. Primo sic: supposito primo quod aliquod corpus pedale debeat moveri motu continuo super aliquod spatium et illud spatium motu continuo protransire, si ergo superficiem anteriorem corporis mobilis et sit a signo medietatem spatii et sit b, modo certum est quod mobile sic transeundo motu continuo quod a perveniet ad b, nec ibi stat per tempus quia aliter motus non esset continuus. Igitur a erit in b solum per instans, supposito etiam quod actus recordandi presupponit actum intelligendi et apprehendendi aliquando fuisse respectu illius de quo habet recordationem. Hoc supposito quero utrum intellectus creatus iudicare poterit vel intelligere a esse in b vel non. Si sic, igitur actum illum causabit in instanti nisi er- (64vb) ret, quia solum per instans a fuit in b et si iudicet a esse in b quando a non erit in b errabit. Si dicatur quod non, contra: aliquis poterit recordari se vidisse a in b, quia Deus potest revelare quod quando tale signum apparebit, tunc a erit in b sed aliquis potest recordari quando tale signum primo vidit, igitur. Et confirmatur, posito quod a sit una linea pedalis et b semipedalis et b debeat augeri motu continuo usque ad quantitatem bipedalem, tunc certum est quod aliquando a et b erunt equalia et non nisi per instans, quia aliter non augetur b motu continuo, Sed intellectus poterit vere intelligere b esse equale aliquando cum a, Igitur hoc erit solum in instanti.

Secundo sic: capio aliquid ad quod intelligendum anima inclinatur ex habitu intenso et quod omnimodo velit illud post hoc intelligere. Tunc quero utrum immediate post hoc possit illud intelligere. Si sic, et immediate post hoc erit instans, igitur intelliget in instanti, Si non, igitur oportet quod exspectet per aliquam moram vel mensuram antequam possit illud intelligere, et tamen non magis disponitur ad illud intelligendum post illam mensuram quam ante, igitur et pari ratione post illam mensuram exspectabit per aliam mensuram, et sic in infinitum. Et per consequens nunquam posset illud intelligere.

Tertio sic per Commentatorem 3 De anima commento 28 dicentem intellectio est actio perfecta et fit in instanti, nec illam precedit aliqua actio diminuta. Et Philosophus ibidem dicit quod quando intellectus educit se de actu primo ad actum secundum, intelligit subito etc.

Respondeo. Ad primum dico quod intellectus poterit iudicare a esse vel fuisse in b solum per instans, sed nego consequentiam igitur causabit actum illum in instanti, quia sicut possum intelligere mensuram unius anni per actum durantem per horam sic econverso factum instantaneum possum intelligere per actum durantem in tempore, sicut intelligimus actum creationis.

Ad confirmationem patet per idem.

Ad secundum, dico quod immediare post hoc possum illud intelligere, et tamen si li 'hoc' demonstret mihi instans certum est quod immediate post hoc non erit instans, cum duo instantia non sint immediata. Et sic non concludit. Si autem li hoc demonstret michi aliquod tempus, tunc dico quod non sequitur. Immediate post hoc potest intelligere illud, igitur

immediate post hoc illud intelliget. Etiam nego istam conse- (65ra) quentiam. Immediate post hoc illud intelliget et immediate post erit instans, igitur intelliget in instanti sicut si aliquid moveatur motu continuo. Verum est dicere quod immediate post hoc movebitur et immediate post hoc erit instans. Non tamen sequitur, igitur movetur in instanti.

Ad tertium, dico quod Philosophus et commentator capiunt ibi instans pro tempore valde parvo et imperceptibili. Quando vero commentator dicit quod illam non precessit actio diminuta, intelligit quod intellectio magis preficitur per quietem mentis et corporis quam per motum.

Tertia conclusio est quod ad productionem verbi rationalis et create anime necesse est speciem representantem in potentia intellectiva ponere. Intelligo conclusionem stante lege et de verbo quod est rei existentis extra animam, nec essentialiter presens anime.

Probatur tripliciter. Primo sic: potentie eiusdem rationis rei absentis producentes verbum debent ipsum producere per eiusdem rationis medium. Sed intellectus separatus est eiusdem rationis cum intellectu coniuncto quam tum producendo verbum de re absente ipsum producit mediante speciem, igitur et hoc facit intellectus coniunctus. Maior de se nota. Similiter et minor quoad primam partem. Sed quoad secundam, scilicet quod intellectus separatus producat rei absentis verbum mediante speciem patet per illud quod habetur Lucas, 16, quia dives ille epulo produxit verbum de fratribus suis absentibus rogando Abraham per ipsis. Sed de ipsis recordari non potest sine specie intelligibili, igitur.

Secundo sic: nulla potentia activa agit actum suum circa obiectum absens. Patet, quia aliter oparetur circa nihil. Sed potentia intellectiva producit verbum de rebus absentibus. Igitur necesse est quod talem productionem faciat circa aliquod obiectum sibi presens. Sed res ille de quibus format verbum per suam essentiam non sunt sibi presentes. Igitur oportet quod sint presentes per ipsarum similitudinem ver speciem in qua conspiciantur ab ipsa anima.

Tertio sic: omnis actio immanens habet terminari ad aliquid intra manens. Sed verbum de re absente est talis actio. Igitur et tale terminans ipsum verbum manens intra potentiam intellectivam non potest esse res intellecta cum illa sit extra animam, igitur solum est species vel similitudo eius. Maior patet, quoniam oportet primo quod talis actio per aliud terminetur alioquin esset infinita nec potest terminari per aliquod existens extra, cum sit operatio immanens, igitur (65rb) tur.

Istius intentionis videtur <esse> beatus Augustinus De cognitione vere vite, responsione 23, dicens quod cum artifex domum facere cogitat iam domus in ipsa arte vivit quam postmodum manibus adificat talis autem domus existens intra non potest esse aliud quam species domus exterioris, igitur.

Contra conclusionem arguitur tripliciter. Primo sic: si ad productionem verbi requiratur species in potentia verbi productiva sequitur quod in eodem respectu eiusdem erit ponere duas similitudines realiter distinctas. Consequens falsum, igitur. Falsitas consequentis patet, quia ille due similitudines aut essent eiusdem speciei, et sic duo accidentia solo numero differentia essent in eodem subiecto, aut alterius, et sic una containeret aliam virtualiter, et per consequens contenta superflueret. Et consequentia patet, quia verbum est similitudo rei intellecte ut ait Augustinus in De cognitione vere vite, responsione 22, si igitur ibidem ponatur species sibi erit eiusdem rei alia similitudo.

Secundo sic si talis species requiratur ad productionem verbi, quero aut illa species est idem quod verbum, aut distincta a verbo. Si idem, igitur idem erit terminus sui ipsius. Si aliud,

tunc Deus posset annullare talem speciem manente verbo, et per consequens tunc intellectus ita perfecte intelligeret sicut si haberet speciem, igitur talis species non necessario requiritur.

Tertio sic: si talis rei absentis species requiratur ad verbi ipsi¹ productionem, aut requiritur ad terminandum ipsum verbum. Aut ad ipsum principiandum. Non primum, quia verbum et actus intelligendi terminatur ad obiectum. Nec secundum, quia intellectus creatus stante primi influentia est sui verbi totalis causa productiva, ut dicit secunda conclusio quaestionis 7 primi.

Respondeo ad primum: concedo consequens. Ad improbationem dico quod utrumque potest dari, scilicet quod tales similitudines sint eiusdem rationis vel alterius. Quantum ad argumentum. Non enim est impossibile quod duo accidentia intentionalia eiusdem rationis sint in eodem subiecto. Nec etiam sequitur quod si sint alterius rationis una continet aliam. Igitur alia superfluit. Quia tunc omnis entitas preter primam superflueret. Vel aliter dico quod impossibile est in eodem esse duas similitudines respectu eiusdem eodem modo ipsum representantes. Quod non sic, est in proposito, quia species representat rem extra habitualiter. Verbum vero actualiter.

Ad secundum dico quod illa species est a verbo distincta. Et quando dicis quod tunc Deus pos- (65va) set separare et destruere manente verbo etc. Dico quod hoc non est contra conclusionem. Que loquitur stante lege et non de potentia Dei absoluta. Dico secundo quod si ipsam destrueret verbum maneret, sed non maneret verbum. Dico tertio quod etiam secundum aliquos Deus non potest omnem rem ab alia separare. Et maxime quando una res in esse dependet ab alia non posset re dependente manente rem a qua dependet annullare nisi mutaret naturam illius rei dependentis. Et secundum ipsos verbum dependet a tali specie tanquam actum sine quo non.

Ad tertium dico quod talis species requiritur ad terminandum verbum. Cum res exterius verbum mentis non possit terminare, requiritur etiam talis species ad representandum ipsi intellectui rem exterius intellectam quorum oppositum non probatur.

Ad argumentum primum factum in oppositum, nego consequentiam. Ad probationem dico quod intellectio actualiter producitur ab intellectu. Et quando dicitur quod non, quia tunc produceretur per aliquam productionem, nego. Unde dico quod productio intra manens est ipsum quod producitur, quia tales actiones sunt sibi ipsis fines secundum Philosophum etc.

¹ ipsi] ipsa con.